

MICHAELIS PICCARTI

Prof. quondam Altiorff. celeb.

Argumenta

LIBRORUM POLITICORUM
ARISTOTELIS

*Cum Praefatione
de*

Nævis istius Operis Aristotelici.

Grotius de Jur. Bell & Pac. Proleg. §. XLV.

Nobis propositum est, Aristotelem magni facere , sed
cum ea libertate , quam ipse sibi in suos magistros
veri studio indulxit.

HELMSTADII,
Apud GEORG- WOLFGANGVM HAMMIVM,
ACAD. TYPOGR. M DCCXV.

4.

a. LXXXIX. 44.

Coll. diss. A
1889, 44

MONSIEUR DE PICCIARELLI
LIBRARY OF M. POLYDOR
CLERICIUS



MONSIEUR DE PICCIARELLI
LIBRARY OF M. POLYDOR
CLERICIUS

MONSIEUR DE PICCIARELLI
LIBRARY OF M. POLYDOR
CLERICIUS

MONSIEUR DE PICCIARELLI



IS est genius dominantis Sæculi, ut quæ cedro digna a Veteribus fuerunt judicata, ea nunc scripta alto supercilio despiciantur & digna judicentur, quæ omnium sermonibus vapulent. Videmus exinde usum & consuetudinem non tantum vocabulorum, verum etiam omnium rerum esse Tyrannum, & tam orbi politico, quam litterario suas intentare minas. Eminentissimum inter alia exemplum exhibent nobis fata summi Viri ARISTOTELIS, cuius auctoritas & existimatio per bis mille annos propagata nunc nonnullis etiam in nostra GERMANIA, ubi longissime stetit integra, ita in profundum cecidisse visa est, ut illam restitutum iri plane desperent. Floruit Philosophia Peripatetica per tantam sæculorum seriem & nullum, ut ferunt, est dubium, *arcano id numinis beneficio contigisse*, quo sapientia quædam eximia in mortalitate hac nostra inveniretur: nam ex Aristotele profecto cum primis eam petere licet, quod hic ingenii nostris quasi metam fixerit. (a) Audiamus IVLIVM CÆSAREM SCALIGERVM de ARISTOTELE & cum eo infinitam eruditorum catervam, qui idem senserunt:

*Ne perge, ne viator: hic sisas gradum
Ultrane promovere posse te putas?*

*Hic meta mundi: hæc finis orbis ultima
Aristoteles — — —*

*Unus super omnes, singulis qui omnes fuit
Penes Deos homo, penes homines Deus.*

10(2)

Plu-

(a) Conring. præfat. orat. alter. in laudem Aristot.

Pluribus ostendere possem, quanto fuerit loco ARISTOTELIS proximis abhinc saeculis, nisi manifestum esset & plane perspicuum, in tanto eum fuisse splendore, ut ejus luminis claritate cæcitas multorum oculis fuerit inducta. Extiterunt enim nonnulli, qui viris θεοπρεψοις non tantum æqualem eum censuerunt vel solum illum Adamo in statu integratis constituto vel Paulo Apostolo a terra in coelos abrepto parem cum HENRICO DE HASSIA dixerunt. (a) Sed & PHILIPPVS MELANCHTHON testatur diebus Dominicis variis in locis pro thematicis Dominicis inde a Caroli M. ætate opera P. Gvarenfridi saeculo octavo in catbedras Ecclesiasticas introduxit, Ethica Aristotelis publice populo esse prælecta & a se Tübinger in agro Würtembergico audita: Tiguri quoque ut & pasim atibi ex Thoma & Scoto conciones habitas. Sic quoque HENRICVS ERNSTIVS Regis Daniæ quondam Consiliarius narrat, se in Academia Patavina die Dominicæ audivisse Ethicam Aristotelis publice prælegi; proinde ac si illa sint iste τύπος διδαχῆς, in quem tradi & quasi fundi debemus Christiani. (b) Alii enim in philosophicis Christi dixerunt præcursorum, quemadmodum IOANNES BAPTISTA præcursor fuit Christi in Theologicis, (c) & nonnulli tantum illi tribuerunt, ut adfirmare non erubuerint, Deum benefacturum fuisse, si hunc autorem sanguine filii sui confirmasset, (d) & satius esse duxerint cum IANO NICIO ERYTHRAEO, in iis, quæ ad philosophiam pertinent cum Deo Philosophorum errare, quam cum aliis recte sapere minorum gentium magistris. (e) Nimiæ hæ sunt laudes,

(a) Naudé apologie des grands hommes &c.c. i. §. 8.

(b) vid. Crenii animadvers. P. 3. p. 24. seqq. (c) Agrip. pa de vanit. scient. c. 54. Zogl. in Grot. p. 21. (d) Eensels Curieuse Bibl. 1696. p. 446. (e) Pinacoth. i. p. 204.

des, (a) & justos encomii cancellos excedunt, quibus pessimum istud laudantium genus derogavit magis honori tantum Philosophi, quam splendorem addidit. Non opus est sane, ut hyperbolicis illum laudibus prosequamur: tanta enim inesse videntur Aristoteli, ut parseorum ad sempiternam ejus gloriam sufficiat. Nihilominus tamen his nostris temporibus, quod merito lugemus, contemptu fere universali premitur, & vix locus ullus reliquus est, in quo Aristotelis auctoritas manserit inconcussa. Plurima regna expulerunt ejus philosophiam & atroci Consilio omnem spem exoptati reditus ei præcluserunt. In GALLIA emergebat ejus fortuna variis fluctibus agitata sub initium sæculi præteriti & in ejus gratiam Parisiensis Senatus publico decreto sanciebat, ne quis sub poena Capitis antiquitati adversaretur: *La cour fait defenses a toutes personnes a peine de la vie, de tenir ny enseigner aucunes maximes, contre les anciens & approuves, ny faire aucunes disputes, que celles, qui seront approuvées par les Docteurs de la dite faculté de Theologie.* (b) Pluribus rem istam persequitur RAPIN & simul causam innuit, cur ista philosophia in tanta olim fuerit auctoritate, quod scilicet Romanæ Religioni aptissime sit accommodata: *Rien ne fit plus d'honneur a la doctrine de ce grand homme dans le siecle passé, que les invectives atroces de Luther, de Melanchton, de Bucer, de Calvin, de Postel, de Paul Sarpi & de tous ceux, qui ecrivirent alors contre l'Eglise Romaine. Car ils ne se plaignent tous d'Aristote, que parceque la solidité de sa methode donne un grand avantage aux Catholiques pour decouvrir les ruses & les artifices des faux raisonnemens, dont se sert l'heresie pour deguiser le mensonge & detruire la vérité. Il se*

jo(3

trouve

(a) I quarum copiosiorem Catalogum texit Bayle Dict. Crit.
T. 1. p. 349. not. H. (b) Launojus de varia fortuna A-
ristot. c. 6. p. 78.

trouve en effet , que de toutes les philosophies , celle d' Aristote fut la plus propre pour soutenir par la droiture de ses raisonnemens la vérité de notre religion , qui a toujours paru si conforme a la vraye raison . Ce fut aussi le motif , qui obligea les docteurs de l' Université de Paris a faire en l' année 1611. un nouveau reglement , qui ordonoit aux Professeurs d' enseigner la philosophie d' Aristote & qui marquoit la methode de l' enseigner utilement . (a) Sed ut nunc est , vix ARISTOTELIS ibi fit mentio , nisi quando erroris est incusandus & ubi ab Aristotelis explicatione secedere non est licitum , ejus dogmatum nomen magis & titulus , quam res ipsa inculcatur . Non dicam de fatis Aristotelicæ Philosophiæ in ANGLIA , BELGIO aliisque rebus publicis , cum ipsa nostra Germania de iisdem luculenter testetur . Ex quo LVTHERVS heroico adflatus Spiritu tenebris corruptæ Ecclesiæ intulit lucem , statim decrevit auctoritas ARISTOTELIS , in primis cum eadem aperte & acerrime impugnaretur ab ipso LVTHERO . Videns enim ille , quod Theologia Scholastica fundamentis Aristotelicæ philosophiæ innixa infinitos errores exinde hausisset & ea propter artissime cum eadem esset conjuncta , hinc absurdâ illa fundamenta concussurus , auctoritatem istius philosophi aggrediebatur . Nisi caro fuisset Aristoteles , inquit LV.THERVS , vere Diabolum eum fuisse non puderet asserere . Proteus est , histrio , qui græca larva Ecclesiam lusit , vaferimus ingeniorum illusor , calumniosissimus calumniator , sycophanta impiissimus , princeps tenebrarum , triceps Cerberus , tricorpor Geryon , vere ἀπόδιων id est perdens & vastator Ecclesiæ : merus logo dædalus & logomachus , vastator piæ doctrinæ , bestia , caligo hominum & quidem teterrima . Momus , imo momus momorum , bestia gentilis , similis hydræ in Lerna . In quo

(a) la comparaison de Plat & d' Aristot. p. 412.

quo fere nihil est philosophiae: impiissimus est, publicus veritatis
Ex professo hostis. Gentilis animarum carnifex: hircus vel
potius hirco-cervus, bis sacerrimus Aristoteles, in cute perfectus
Epicurus. (a) Quo animo in ARISTOTELEM jam ante Re-
formationis primordia fuisse videtur, quod patet ex epistola
anno 1516. exarata, ubi illa verba leguntur: *Nihil ita ardet
animus, quam bistrionem illum (Aristotelem) qui tam vere græ-
ca larva ecclesiam lusit multis revelare ignominiamque ejus cun-
dis ostendere, si otium esset -- . Pars crucis meæ vel maxima
est, quod videre cogor, fratrum optima ingenia bonis studiis nata
in istis cœnis vitam agere & operam perdere (b). Huic Zelo
LVTHERI, quem alii fervidis vestigiis sequebantur, insigne
momentum adferebat artium & scientiarum incrementum,
quod sub finem antecedentis sæculi artis Typographicæ in-
ventione & cultura mirum in modum promovebatur. Sic
enim infiniti libri prodibant in lucem, qui haec tenus tem-
pore illo tenebricosissimo in cœnobiorum latebris fuerant
absconditi & propter ARISTOTELEM ubivis dominantem
lectioне vix digni judicabantur: nec iis, quibus animus &
cupido erat legendi veterum scripta, ea obtingebat semper
felicitas, ut propter Manuscriptorum raritatem, Monacho-
rum scribendi monopolium, cæcæ superstitionis dominium
aliaque studiorum impedimenta eorum potiri potuerint. Sed
Typographia sæculo XV. jam disseminabat ubivis loci scri-
ptorum veterum volumina & solis disco exponebat, plures
dari veritates, quam quæ in ARISTOTELE deprehendere
liceret utiliusque tempus in aliorum dogmatibus & placitis
perlegendis posse collocari, quam ut in tractandis schola-
sticorum*

- (a) Quem Catalogum invectionum ex scriptis Lutheri congesit
Gretserus Inaug. Doct. p. 41. vid. Bayl. Dict. Iub voce Luther
p. 1947. (b) Luther T. 1, epist. Latin. epist. 8.

sticorum tricis inutiliter tereretur. Cui temporum felicitati accedebat græcarum litterarum in occidentem migratio nec non ingeniorum fertilitas, quæ illi sæculo bonis avibus contigerat. Cum ergo & litteræ humaniores saniorque Theologia caput haetenus depresso erigerent & somno quasi excitatæ evigilarent, turpe fuisset, solam dormire Philosophiam, quam non tantum ERASMVS, MELANCHTHON aliique multis modis tamquam Augiæ stabulum a quisquiliis Scholasticorum purgare annisi sunt, sed P. RAMVS postea vehementi nisu & animositate sibi exitiosa Scholæ peripateticorum bellum aperte denuntiavit jugoque auctoritatis Aristotelicæ prorsus excutiendo animum viresque adjecit. Cujus exemplum, sed non fervorem atque pericula imitati nonnulli subtilius eadem fundamenta concusserunt, inter quos VERVLAMIVS, GASSENDVS, CARTESIVS nominis summam celebritatem sibi adquisiverunt. Horum opera libertas sentiendi magis magisque invaluit, quæ postea horum animos tanto applausu occupavit, ut infelix ARISTOTELES undique ejiceretur. Fata hæc premunt quoque ejus politicam & licet viri & ingenio & eruditione maximi, STROZZÆ, HEINSII, CONRINGII, FELDENI, PICCARTI, &c. quorum nomina operumque titulos hæc pagina non caperet, manus obstetrics eidem admoverint, Virique illustres sua auctoritate & approbatione splendorem adjicere voluerint, ipsa tamen quoque rerum vicissitudines experta est nomenque ejus insigni contemptu laborare videmus. RAMVM, GASSENDVM, PATRITIVM plerique in odio dogmatum Aristotelicorum sequuntur & nomen sibi nunc ejus contemptu parare satagunt, in cuius nomine tantum celebrando aliqua gloriæ pars posita esse videbatur. Olim PAVLVS FOXIVS & legationibus & eruditione illustris PATRITIVM

TIVM FERRARIAE profitentem, quod novas & a communi sensu alienas atque adeo erroneas opiniones in ARISTOTELIS doctrina explicanda tueri diceretur, ut ex discussionum peripateticarum parte jam edita patebat, ad colloquium admittere insuper habuit & THVANVS tantum vidit, non etiam allocutus est (a). Nostrum vero saeculum illos insuper habere solet, qui ARISTOTELEM defendunt & a partibus ejus stare gloriantur. Videamus accuratius, quae libris politis hujus philosophi objiciuntur & enumerentur illi nævi, quos nonnulli penitus eorum materiam in tuentes deprehendere sibi visi sunt. Primo generatim autumant de isto opere politico judicari a plurimis ex præfatione interpretum, paucos ipsum opus inspexisse: his vero proprium esse, auctores multis madare laudibus, in quos sunt commentaturi, ut vel lectoris mentem præoccupent vanitate bonæ opinonis vel fibimetipsi eo nomine eruditī hominis laudem concilient, dum ostendunt, in quantum auctorem operam suam, atque diem collocaverint. Interpretes abreptos fuisse opinione tunc temporis dominante in republica litteraria, quæ saepius cœco impetu statuere solet de alicujus libri vel scriptoris præstantia: eas religioni sibi duxisse, abire a sententia tantiviri, cuius auctoritas ætatem tulisset sibique semper diffisos esse, Deo scientiæ Scholasticæ errorem posse exprobari, præsertim in tanta scientiarum caligine. (b) Ipsum opus politicum crassissimis scatere vitiis, imbecillitatibus, erroribus. Stilum esse obscurissimum: breve & abscissum dicendi genus nec legi nec intelligi velle & ubivis præ se ferre natum cereum Aristotelis in utramque partem flectendum. Hallucinari ubique interpretes & de voce ejus enucleanda tamquam de Americæ thesauris ingenti fervore altercari,

(a) Thuanus de vita sua L. i. p. m. 1292. (b) Essais de Montaigne L. 2. p. 508. 01101. 201100 (3) 57. b. 20110A

)o()o(

quod

quod ex lectione interpretum hujus scripti ad oculum pateat,
ut etiam CONRINGIVS ipse de iis adfirmare non sit veritus:
a Commentatoribus & interpretibus quaelibet acceptari sine ulla
latentium hiatum mendorumque suspicione ut negari non potest,
ita profecto nec probari. Quam vero illi sese defatigent in commo-
dis sensibus eruendis: quam saepe silentio tegant, quod assequuti non
sunt aut crediderunt non satis recte dictum, quam postremo illi vim
faciant textui interpretationibus & commentationibus suis, res
ipsamet abunde & luculente docet. (a) De politica Aristotelica
etiam valere dicunt judicium, quod BAYLIVS de ejus Philo-
sophia in genere tulisse legitur: *il ne faut pas s'étonner, que*
le Peripatisme tel, qu'on l'enseigne depuis plusieurs siecles trouve
tant de Proteateurs & qu'on en croye les intérêts in séparables de
ceux de la Theologie: car il l'accoutume l'esprit a acquiescer sans
evidence (b). Sine evidentiā enim tum sensus tum ratiocinii
sæpius adquiescendum esse in hoc libro corruptissimo, in quo
vel mille lacunæ obscuritatem adaugerent, ut sensus plane
deficiat. CONRINGIVM nocuisse magis auctoritati hujus
operis quam præfuisse: aliquot centum enim lacunas tam
quam maculas solares denuo deprehendisse, pristinis addidisse
illosque defectus asteriscis notasse, ut de imperfectione ejus
perfectissime constaret: introductione sua erudita illius im-
becillitates significantius protulisse, quas tamen omnes in-
felicitati fatorum quam in comparabili vel potius obscuri-
tatis amanti ingenio Aristotelico maluerit adscribi, in primis
cum perceperit, a disertissimis Criticis hunc philosophum
judicatum fuisse suavissimum scriptorem (c). Propter illarum
lacunarum copiam eos, qui difficiles has reliquias studio & la-
borare tractarent, similes esse cancros edentibus, qui propter
exiguum cibum circa plurima ossa occupari solent, cum cer-
tum

(a) Introd. in Pol. Arist. c. 9. p. 642. (b) T. I. Diet. Crit. voce
Aristote. p. 352. (c) Conring. Introd. p. 643.

tum sit, monente CONRINGIO, integros libros aliquot suo
loco esse motos, ipsam orationem passim hiare & lacunis esse
intercasam, complura denique adeo obscura & salebrosa, ut
lectorem non instruant, sed inani opera defatigent ludant-
que (a). Huic defectui accedere confusionem summam ordi-
nis librorum & capitum de quo immane quantum disceptetur
inter interpretes, an tertius secundo, an septimus & octavus
liber tertio subjungendus sit nec ne : hinc enasci absurdas
tautologias per totum opus disseminatas, quibus eadem ar-
gumenta toties repetantur : illas tamen tautologias a vene-
ratoribus STAGIRITÆ copiæ insigni vel profundissimæ me-
ditationi illius male adscribi, in quibus ne verbulum quidem
sine pondere atque momento collocatum fuerit. Plerumque
in utramque partem argumenta adferri dicunt in hoc opere,
sed obscurissime decidi nec de mente ARISTOTELIS hinc &
inde etiam CONRINGIIS, qui nasum Rhinocerotis habent,
constare, ut eo felicius elabi & absolutissimum Monarcham
philosophicum se gerere posset, in cuius placitis cœco impetu
propter obsequii gloriam prorsus sit adquiescendum. Politi-
cam ad acromaticos libros pertinere, CONRINGIO cete-
risque id confirmantibus, de quibus tamen GELLIO teste (b).
ipse ARISTOTELES ad Alexandrum scripsit de eorum edi-
tione querulantem : *acromaticos libros, quos editos quere-
ris & non proinde ut arcana absconditos neque editos scito
esse neque non editos, quoniam his solis, qui nos audiunt, sunt
cognoscibiles.* De eo quoque libro valere judicium MALE-
BRANCHII, quod de ARISTOTELE generatim inculcat:
*Revera Aristotelis libri adeo obscuri sunt totque scatent terminis
vagis & generalibus, ut eorum opiniones, que ipsi maxime adver-
santur non sine verisimilitudine possint ipsi tribui. In nonnullis illius
operibus quidlibet ipsi adscribere licet, quia in iis nihil pene dicit,*

(a) Dedic. Polit. Arist.

JO()O(2

quam-

(b) Noct. Attic. L.20. c. 5.

quamvis multa magno strepitu deblateret : quemadmodum pueri campanas sonitu suo quidlibet dicere singunt, quia campanæ ingenitatem edunt sonum nec quicquam dicunt (a). Omnia ARISTOTELIS ratiocinia vel generaliora nimis esse hic loci vel nimis theoretica ad praxin vel parum vel nihil conferentia vel sine ARISTOTELE in vulgus nota : licet nonnunquam ad specia- liora descendat, rerum publicarum ideas recenseat & reprehendat, omnia tamen a nostris temporibus esse alienissima (b) iisque præter doctrinam de Tyrannide vix aliquid applicari posse : disputationi Scholasticæ eum magis inservire, quam ut judicium politicum formare & expolire queat, cuius cultura lectione scriptorum pragmaticorum & usi maxime sit instituenda. Impudens plane assertum, ARISTOTELEM plenum opus politicum nobis exhibuisse : BOSIVM virum alias iudicio non destitutum, in hoc tamen insignem Ecclipsin passum esse, quod adstruat : *Aristotelem non tantum nihil eorum omisisse, quæ ad integrum imperii corpus facerent, sed etiam illa docuisse, quæ ad singulas partes imperii requererentur* (c). Maxime enim monente illustri PVFFENDORFFI Opra oculis instituta græcarum suarum civitatum habuisse ARISTOTELEM earumq; libertatem cum primis æstimassem, quem gravem esse defectum disciplinæ universi generis humani usui inservituræ (d). Ex BÖCLERO satis constare, illum specimen civilis doctrinæ, non corpus & id ipsum non explanata, sed testa ratione voluisse exhibere (e). Admiratione dignum esse judicant reges atque principes per tot saecula politicum hoc Systema in suis regnis atque imperiis tolerasse, cum de regno paucissima tradens pro Democratia græco more acerrime pugnet, omnia ad rem publicam componat & ideam Monarchæ atque Monarchiæ

- vel
(a) De Inquir. Verit. L.4. p.257. (b) Becm. Consip. doctr. polit. L.1. p. 6. (c) de compar. prud. civil. n. 15. (d) Spec. con- trov. circa Ius Nat. c.1. § 4. fol. 204 Conf. Becm. Consip. doctr. polit. p.6. (e) Böcler app. ad Grot. Diss. I. fol. 1.

vel ut impossibilem esse repræsentet vel colubrina calliditate atque arcana deductione ejus horrorem incuriat , dum flagitia dominationis & Tyrannidis artes apertius & copiosius explanat. Hinc MILTONVM pessimæ suæ causæ , quam bene defendisse legitur , ex ARISTOTELLE facile fulcra & prætextus invenire ejusque principia in partes suas trahere potuisse. Animas enim sic præparari ad amorem libertatis Democraticæ odiumque regiminis Monarchici sensim inculcari , quod etiam FRANCISCO I. Regi Galliæ bilem moverit. Nam PETRVS GALLANDIVS Professor regius avoit des en-vieux & ces en-vieux vouloient faire venir de Normandie un nomme Bigot , grand Philosophe Aristotelicien , pour le supplanter par ce moyen. François premier a qui l' on en avoit parlé , demanda a Petrus Castellanus , quel homme c' étoit. Il répondit , que c' étoit un Philosophe , qui suivoit les sentimens d' Aristote. Et quels sont les sentimens d' Aristote , ajouta Francois premier ? Sire repartit Petrus Castellanus , Aristote prefere les républiques à l' état Monarchique. Cela fit une telle impression sur l' esprit de Francois premier , qu' il ne voulut plus entendre parler de ce Mr. Bigot (a). Obistum græcarum rerum publicarum respectum exiguum sane utilitatem ex isto opere imperfecto in nostra tempora redundare & ex interpretibus magis & commentariis , quam ipso textu Philosophi aliquid commodi hauriri posse (b) : utpote , qui more solito in notis & additamentis omnes Locos communes , quos in politicis corraserunt , exantlare & sine ullo sæpius judicio ad ostentationem eruditæ lectionis adjicere non sunt gravati. Praeter istum defectum ipsam Oeconomiam totius operis omniumque dogmatum corruptem accedere absurdissima principia , quibus Symmetria istius superposita esse intelligatur. Agmen

(a) Menagiana T.I. p.173. (b) Rechenberg de Stud.Acad. p. 60. sq. Paschias de invent. novant, p. 244.

corum totum in medium producunt, ex quo nonnulla protulisse sufficiat, quæ inter manifestissima recensent. Dicunt enim, ARISTOTELEM in eum errorem delapsum esse, ut adfirmet, barbaros eos esse i. e. homines incultos stupidos, sui non compotes, dignos, quibus alii imperent, apud quos jure successorio regna deferantur; propterea eum Carthaginenses Spartiatibus prætulisse, quod hi reges ab Herculis stirpe ducerent, illi suffragio populi sibi crearent: ergo barbaros esse Assyrios, Medos, Persas, Ægyptios, Iudæos, Asiaticos, Anglos, Celtas, Francos, Hispanos, qui sibi reges a stirpe regum & quærunt & semper antea quæsierunt: quin etiam græcos quondam, Athenienses, Lacedæmonios, Licyonios, Corinthios, Thebanos, Epirotas, Macedones, atque adeo Hetruscos ac Latinos veteres quamplurimis sæculis reges non aliter, quam a sanguine regum adeptos esse & ad multas alias rationes provocant, quibus BODINVS eam sententiam refutaverit (a). A PET. GREG. THOLOSANO eum jam notatum esse pluribusque aliis, quod omnes qui invito populo præfunt tyrannos esse dixerit adeoque plebi, cui omne jugum molestiam creat & intolerabile est, lenocinetur blandissimaque opinione ad turbas excitandas periculosisima jaciat fundamenta (b). Manifestum esse errorem in primo limine operis expositum, hominem esse ζῶν πολιτικὸν, ex quo tot novi errores progignantur, cum homo animal a natura sit ad turbas excitandas aptissimum multæque rationes istud principium destruant ab HOBBESIO, PVFFENDORFFIO, THOMASIO, GVNDLINGIO &c. observatæ. Cum hoc errore aliud falsitatis principium esse conjunctum, dari nempe servos natura adeoque dari inæqualitatem naturalem, per quam homines nonnulli non sint æque homines ac alii, & non tantum apti, sed etiam digni, quibus alii imperent & obsequium impo-

(a) L. 6. c. 5. p. 1050. (b) Tholos. L. 6. c. 18. p. 373. Conf. Septal. de rat. stat. L. 2. p. 67.

imponant. Quam servitutem naturalem in vita sociali nullum habere usum dicunt cum BECMANNO, sed perpetuis turbis involvere genus humanum (a). Nam exinde perniciosissimam ab ARISTOTELE deduci consequentiam, in natura servos licite bellum sumi ex hac ipsa causa, quod tales sint, quod a GROTIO, CONZENIO, BÖCLERO &c. dum refutatum sit. Ex hoc principio græcos & Romanos ceteris populis invidiosum barbari nomen superbo fastidio imposuisse suaque arma innocentissimis nationibus intulisse: ipsos HISPANOS crudelissima sua facta in Americæ incolas commissa violentamque occupationem Indiae occidentalis histi argumentis excusare voluisse barbarique titulum nova sanguinis effusione renovasse. His ita positis concludunt, opus illud obscurissimum, imperfectissimum, a nostris temporibus alienissimum, in Monarchiis non tantum, sed etiam in ceteris rerum publicarum generibus ob principia sua fundamentalia eorumque errores periculofissimum jure meritoque excludi ab academiarum cathedris. In omnibus fere aca- demiis GERMANIÆ valere iussum esse illum autorem, tamquam publicis prælectionibus parum aptum, ob monstruosam proceritatem, malam partium cohærentiam exiguumque fructum, quem juventus ex illius tractatione capere posset. Breviorem monent patere viam ad politica præcepta haurienda ex iis scriptoribus, qui præsentis sæculi genio rem omnem accommodassent, pragmatice regulas prudentiæ pertractarent, sub v. vidis exemplis earum usum demonstrarent & ja&tis ex lute naturæ honestatis & utilitatis fundamentis, reliquam disciplinæ oeconomiam superstruerent. Nolo, Lector Benevole, diutius immorari recensendis iis defectibus, quos exprobant tanto operi, in quo tamen ARISTOTELES manifestum fecisse censetur ab NAVDÆO, quantus ipse Philo-

(a) Cons. doctr. polit. c. XI. p. 55.

losophus fuerit, quam elegans scriptor, quam acutus, quam aptus ad docendum, quam copiosus, quam rerum omnium cognitione refertus (a) *Opponunt quidem GROTIOS, PVFFENDOREFIOS, VERVLAGIOS, BODINOS, LVTHEROS, BÖCLEROS virosqve Ingenio & eruditione maximos, qui non adeo honorifice de eo judicarunt, sed NAVDÆVS modo laudatus illi objectioni jam satisfecisse sibi visus est : Licet, inquit, communis gravissimorum virorum sententia multa scripsisse dicatur, partim difficultia atque obscura partim etiam a nostris temporibus & moribus aliena, nulla tamen mihi videtur esse in eo difficultas aut obscuritas, quæ non improbo labore & acri studio ac crebra lectio- ne per vincatur. Si qua autem a nostra consuetudine in his libris videntur abhorrere, pauca certe ea sunt & quæ ingeniosus & prudens lector ad hæc tempora atque ad usum nostræ reipublicæ facilis negotio accommodare possit, modo tamen apud se reputet, non bunc solis modo prudentibus, quemadmodum Platonem, sed curis etiam atque astutis viris, quales esse debent, qui rerum gubernaculis admoventur, politicam suam scripsisse* (b). *Quibus testimoniiis specialem disquisitionem illarum objectionum omnium quam lubentissime essem additurus, nisi publicis Lectionibus hunc laborem destinarem atque vererer, ne cancellos brevioris præfationis transgre- derer.*

(a) Bibliogr. polit. §. 8. p. m. 51. seq. (b) l. c.

Ad

(a) *Contra Bellum Turcicum*



Ad Lectorem.

Quinquaginta & quod excurrit, anni sunt, cum ultima editio Librorum politicorum *Aristotelis* accurante *Conringio* lucem publicam adspexit, nec ulla adhuc cupido incessit animos Librariorum nova editione insigne illud opus in medium producere. Inde raritas exemplorum tanta est, ut cum in hoc opus publicis Lectionibus commentandum mihi sit, eorum vix unum vel alterum Auditoribus meis adhibito licet longæ inquisitionis labore polliceri queam. Cogitandum ergo mihi fuit de adminiculo quodam, quo ad ideam de rebus proferendis sibi formandam & ad ea felicius retinenda, quæ ad *Aristotelis* textum dicentur, cum fructu aliqua ratione uti possint. Hunc in finem selegi argumenta dictorum Librorum, quæ *Mich. Piccartus*, Vir de *Aristotelis* Politicis immortaliter meritus exinde excerpit. Series capitum ea est, quam *Conringius* in margine suæ editionis adnotavit: series vero rerum clare & concinne est disposita & omnem movebo lapidem, ut usus hujus Epitomæ Auditoribus meis reddatur utilis atque jucundus.

A

Argu-

Argumentum

Libri I. Capitis I.

TRIA potissimum hoc Capite Philosophus agit (1) tanquam Procœmio civitatis finem & scopum adfert, quem dicit esse bonum & quidem præstantissimum bonum, quod Procœmum non parum facit ad dignitatem hujus disciplinæ, utilitatemque ejus nobis commendat. Deinde oppugnat sententiam Platonorum, qui statuebant Reipublicæ Præfectum non differre specie ab Oeconomō; sed tamen multitudine aut paucitate. (3) Πειδεῖαν specialem hujus operis adfert, hoc est, innuit, qua methodo velit in hac doctrina uti, nimirum αναλυπτή seu resolutiva id est civitatem divisurum in minimas suas partes.

CAP. II.

Methodum doctrinæ civili convenientem vidimus cap. sup. esse, ut civitas divideretur, dissolveturque in partes & elementa prima ac minima. Ea dissolutio est primum civitatis in vicos, vici deinde in domos: Domus vero ex quibusdam primis, necessariis ac naturalibus coniunctionibus hominum, quæ societates appellantur, constat, istæ sunt tres numero: Nuptialis, Dominica & patria. Nuptialis & Dominica domui maxime sunt necessaria, quia si alterutra defuerit, non est domus proprie dicta, sed quædam domus tertia id est patria juncta prioribus duabus, perfectiorem sane domum facit. Ceterum sine ea domus tamen est domus, ideo ista societas naturalis quidem est, non tamen necessaria. De duabus itaque primis necessariisque domus partibus, ex quibus prima constat, Aristoteles hoc cap. agit de patria in seqq. dicturus, ut & de altera herili sive Dominica.

CAP. III.

Hactenus primam Libri primi partem absolvimus, quem sub exordium Libri diximus continere rudem constitutionem civitatis ex suis partibus domo & vico. Sequitur nunc secunda pars

da pars, quæ domus simplicis civitatis partis considerat accuratius particulas, id est, personas personarumque societates. Caput hoc tertium totum est methodicum: proponit enim de quibus agendum & cur. Deinde quomodo sit & quo ordine de propositis agendum. Unde bimembre esse hoc caput facile cuivis adparebit.

CAP. IV.

Hoc caput proprius ad disputationem de societate addit & servi quidem primo loco definitionem, sive prædicata essentialia ex officio ac munere ejus exquirit, præmissis fundamentis quibusdam, quibus sibi viam sternit. De servo autem prius agit, quam de Domino, quia etsi dominus dignitate eminent, ministerii tamen necessitate servus primas obtinet. Ea fundamenta vero in textu ordine videbimus.

CAP. V.

Postquam superiori capite Aristot. naturam servi & per naturam relatorum domini quoque aperuit, nunc adcingit se ad nobilem illam disputationem, sitne servitus aliqua naturalis? Ex qua dispositione quæstiones exsurgunt aliæ duæ: expediente & num utile sit aliquibus servire? item justane sit servitus? Has quæstiones deinceps pertractat, præcipue comprobans primam. Primum autem proponit: quid & quomodo sit agendum? post explicat.

CAP. VI.

Postquam superiori capite Aristoteles sententiam suam proposuit & confirmavit, nunc aliorum quoque sententiam expendit & adhibita servitutis divisione ac juris distinctione controversiam sic dirimit, ut vere se docuisse, in totum alias seorsim a se sentientes non prorsus a vero aberrasse, quanquam alicubi impegerint, ostendat.

CAP. VII.

Supra Aristoteles proposuit aliquot deinceps explicanda. Inter ea fuit & ista quæstio capite primo mota & secundo repetita:

A a

tita:

tita: essetne omnium imperiorum eadem ratio & scientia? Eam quæstionem hoc capite explicat negando, adeoque sententiam Platonis & Xenophontis refutando. Partes capitum duæ sunt (1) diversas esse rationes domestici & civilis imperii docetur. (2) tacitæ obcurritur objectioni & quædam de ratione domestica dignitatem ejus concernentia seu humilitatem adtexuntur.

CAP. II X.

Postquam Aristoteles hucusque societatem domesticam primam, id est Dominicam explicuit, transeundum nunc ipsi erat ad reliquias duas, nuptialem videlicet & patriam. Verum interjungit & tertia hujus Libri parte interserit bene longam disputationem de $\kappa\tau\eta\pi\kappa\eta$ & $\chi\rho\mu\alpha\pi\kappa\eta$, hoc est, modo parandæ rei & pecuniæ (ita enim verba græca commodissime verti posse censeo) & hoc quidem capite duo agit. Primum proponit qua de re acturus sit & cur. Secundo totam hanc artem dividit, ejusque membrum unum multipliciter item divisum pertractat. Ubi & præclara quædam de variis vitæ humanæ generibus & institutis & quod omnium hominum causa instituta, creata & generata sint. Deflectit autem ad hanc tractationem ideo, quia servus quoque est in numero τῆς $\kappa\tau\eta\pi\kappa\eta$, ut initio textus adparebit.

CAP. IX.

Nunc adcedit Aristoteles ad alteram rei parandæ rationem, quam supra non naturalem sive artificiosam adpellavimus. De ea hoc cap. 9. potissimum agit. Primum comparat cum superiori deque nomine hujus proprio disputat, simul errorem aliquorum commonistrans. Secundo ostendit originem permutationis rerum rebus factam ad vitam communem pertinentibus. Tertio aperit originem Mercaturæ hoc est permutationis rerum non rebus, sed nummo facta. Quarto ostendit differentiam inter nummos & divitias. Quinto distinguit inter veras & falsas divitias, quarum has finitas, istas infinitas

finitas esse decet. Denique quædam de laudibus veræ Chrematistices subjungit.

CAP. X.

Duæ sunt hujus capitinis partes: in priore quæstiones supra cap. 8. propositæ dissolvuntur, an videlicet ratio rei parandæ sit pars domesticæ & qualis, an ministra? In posteriori comparatio inter rationes rei quærendæ instituitur.

CAP. XI.

Hactenus quæcunque ad theoreticam id est liberalem cognitionem de ratione rei quærendæ pertinent, persequutus est Aristoteles, hoc caput, quæ ad praxin sive usum ejusdem adtinent, pertractat. Hujus doctrinæ hoc capite absolutæ partes sunt duæ: in priori præcepta rei quærendæ ad usum pertinientia aperit: in posteriore copiam præceptorum, sive fontes illius copiæ monstrat, peti debere docens partim ex scriptoribus de re rustica, partim ex historiis, in quibus sparsim stragemata ejusmodi œconomica reperiantur.

CAP. XII.

Sequitur quarta & ultima Libri pars, in qua resumit Aristoteles duas societas domesticas ex tribus superioribus constitutis. Egerat enim de herili saltem nuptialem & patriam huic loco reservans, de quibus breviter explicans formam Imperii, quo maritus conjugi, pater liberis imperat, sequente capite de virtutibus societatum omnium acturus.

CAP. XIII.

Ex fine superioris capitinis, quo dictum fuerat, patris familias curam omnem in eo versari debere, ut homines, quibus præest ad perfectionem suam deducat: quærit deinceps Aristoteles, cum perfectio nihil sit, nisi rei virtus, quæ virtutes in servum, uxorem & Liberos cadant. Partes capitinis quatuor sunt. In 1. dubitationes proponuntur, in 2. deciduntur, in 3. occupatio proponitur & dissolvitur, in 4. fons virtutum

A 3

aperitur

aperitur earum, quæ in partibus domesticarum societatum conspiciuntur. Itaque libro finis imponitur.

Argumentum LIB. II. CAP. I.

PRIMO hoc capite duo exequitur Aristoteles; primo proponit, qua de re agendum sit hoc capite, propositionisque causas subjungit: altera capitinis parte viam sibi sternit ad Platonis rem publicam Lib. de legibus traditam, examinandam.

CAP. II.

Secundo hoc capite ostendit vitia argumenta Platonici, deinde majorem propositionem eleganter & erudite refutat.

CAP. III.

Hactenus ut vidimus, Aristoteles majorem Platonis propositionem refutavit argumentis duobus eruditis & argutis. Nunc c. 3. minorem refutat, quæ erat communione omnium rerum civitatem fieri maxime unam, quam falsam item ait esse: atque id certis quoque argumentis evincit, quæ tractatio priori capitinis parte absolvitur: postea præmissis sepositis conclusionem ipsam productis in medium incommodis & absurdis, quæ vel ex ea vel circa eam occurrant, labefactat parte capitinis altera & cap. 4.

CAP. IV.

Argumentum hujus capitinis supra sub initium tertii propositum fuit. Pergit nimirum Aristoteles in evertenda communione Platonica, præductis pluribus in eam rem absurdis & incommodis, quæ eam consequantur.

CAP. V.

Duæ sunt principales hujus Capitis partes. In priori de communione bonorum agit, quæ disputatio multo difficilior est, quam disputatio de uxorum & liberorum communione.

Quam

Quanquam Lactantius inquit, posse se multis rationibus ostendere, communionem bonorum non modo injustam, sed & impossibilem esse. Nam & Iosephus ait, Esenios Iudeis admirationi fuisse bonorum omnium communione, qui tamen uxores non habuere communes, hodieque dementant imperium vulgus non dicam Anabaptistæ, sed Monachi. Fuit & licita bonorum communio apud veteres Christianos, de qua Lucas in Actis & Tertullian. in apolog. Lucian. item in peregrino. In altera parte resumit universè decretum Platonicum, commonstrans errorem, adlatum in media ejus causa. Multa præterea eodem pertinentia refellit. Notate autem hoc loco ingenium & methodum, qua usus Plato in Lib. de Rep. & qua utitur hic Aristoteles. Plato enim cum omnium rerum communionem in suam inducere Remp. vellet, exorsus est a bonorum communione. Ostendit itaque, quod discordiæ oriantur, quod lites propter meum & tuum, quæ omnes averti possint communione bonorum. Hac tanquam minus absurdâ obtenta proserpit sensim ad communionem uxorum & Liborum, quod erat alienius ab animis hominum. Aristoteles vero reprehensurus Platonis dogma hoc contrario progreditur ordine & primum id, quod absurdius est, convellit, id est uxorum communionem & ita, primore introitu hominibus ad sensum Platonicum extorquet. Deinde demum bonorum communionem & hoc quidem loco exagitat: post suam, quam tolerabilem esse ostendit, subjungens.

CAP. VI.

Plato cum X. de Rep. Libros, quos & de justo inscripsit, quia justitia anima est Reip. ex animi sui sententia optimæ Reip. ideam, qua Dii fortasse utantur, ut loquitur V. de Legibus effinxisset, animadvertisset tamen ipse, vix prout tunc homines erant, eam Remp. introduci posse, scripsit XII. Libros de Legibus una cum appendice, quam vocavit Epinomidem. In iis secundam Remp. exstruxit, quæ quidem non omnes perfectionis numeros haberet, & prima veruntamen usibus hominum

num adcommodatior esset. Hanc deinceps quoque Aristoteles ad censuram suam revocat. Videtur idem Plato tertiam quoque quamdam in animo habuisse, si legas secundam ad Dionis propinquos epistolam, sed digitum potius in illam intendit, non expressit. Itaque nec numerum illa habet. Haec vero duæ nobiles erant & celebres Aristotelis jam tempore. Unde non recte Platonem accepit Cicero, ut erudite monuit Giffan. cum unum tantum Reip. genus descripsisse eum censem Libris de Rep., cui Reip. generi postea Lib. XII. de Legibus idoneas ac aptas accommodarit leges, cujus se exemplum quoque sequuturum scribit. Errat inquam Cicero, quod ejus venia dictum esto, ut ex his, quæ hoc cap. ab Aristotele dicentur, liquido adparebit. Reprehensionis vero Aristotelicæ duo quoque generalia capita constitui possunt. Reprehendit enim secundam hanc Platonis Rempublicam ratione materiæ primo, deinde ratione formæ. Partes capitum duo fieri possunt, quorum prior propositionem dicendorum continet, posterior translationem ipsam habet.

CAP. VII.

Percursis ordine duabus Platonis rebuspubl. nunc ad Phaleæ Chalcedonii examinandam remp. adcedit, quia proxime ad Platonis posteriorem adcedat. Quis Phaleas iste fuerit amplius est quærendum: neque enim ulla ejus apud alios mentio. Ex hoc Aristotelis initio Philosophum quidem, sed privatum evinci potest: nec audio eos, qui contra sentiunt; virum magnum fuisse vel ex eo patet, quod remp. ejus Aristotelis sibi examinandam sumit. Diximus autem supra: non sectari muscas aquilam. Ejus principalia capita examinat tria, quorum primum est de æquandis facultatibus. Secundum de eadem omnium civium disciplina & institutione. Tertium de artificiis, quæ singula suis locis videamus.

CAP. IX.

Hoc cap. Philosophus Hippodami Milesi remp. examinat,
cujus

cujs instituta multa percenset, pauca castigat, quia videlicet alia bona & laudabilia videntur. Partes cap. 3. sunt. In 1. Hippodami patria, pater, vita, mores, studia percensentur & ad remp. pertinentia instituta commemorantur. In 2. quædam de Rep. instituta vellicantur & corriguntur. In 3. quæstio elegans de legum patriarcharum immutatione disceptatur.

CAP. IX.

Hactenus priori Lib. parte Philosophus examinavit Res-publicas illas, quæ litteris a viris magnis usu publico consignatae fuerunt, nunc deinceps eas adgreditur, quæ re vera extiterere & tempore quidem Aristotelis florentissimæ fuere, Lacedæmoniorum videlicet, Cretensium, Carthaginensium & Atheniensium. Quanquam autem Cretensium Resp. Spartana erat antiquior, hæc tamen nobilior semper fuit ideoque primo loco hic examinatur, non quidem, qualis ab initio hæc fuit instituta, neque prout a Lycurgo postea est correcta, sed qualis fuit, cum hæc scribebat Aristoteles. Varia autem hujus reip. carpit instituta, quæ ad 3. capp. reducere possumus. Aliqua enim impingere ait Aristoteles in materiam civitatis, aliqua in formam, aliqua denique in finem. Ex quibus capp. hujus quoque noni distinctio peti potest, quanquam confuse ista examinentur. Qui pleniores hujus cap. intellectum volent, adhibeant Xenoph. Lib. de rep. Lacedæm. Plut. in vita Lycurgi. Diod. Sic. Herod. Thucyd. Pausan. in Laconicis. Plato Libris de Legibus præsertim sexto. Athenæum multis locis. Ex recentioribus Nicol. Cragium, qui de rep. hac Libros 4. scripsit.

CAP. X.

In hoc capite duo potissimum Aristoteles agit (1) similitudinem Cretensis reipubl. cum Spartana proponit, in quibus illæ conveniant, docens, decidens simul quæstionem illam nobilem suo tempore: An Cretenses a Spartanis acceperint leges an contra Spartani a Cretensibus. In secunda parte de differentia utriusque reip. agit, aperiens, in quibus Cretensis resp.

B

Spartana

Spartana melior & rursum, in quibus deterior sit, errores eiusdem patefaciens & argumentis evincens. Est vero huic capiti plane gemina Strabonis tractatio Lib. X. Primo enim ut hic Aristoteles de situ hujus Insulæ loquitur, citatque Ephori Cumani quædam fragmenta, qui multa de Rep. Cretensium litteris prodiderat. Deinde sicut Philosophus noster a situ progeditur ad vitam moresque hominum, tum refellit adcurate quoque illos & plenius quidem, quam hic Aristoteles, qui Spartanos Cretensibus antiquiores esse volebant. Itaque Strabonis ille Locus hujus Capitis intellectui multum proderit.

CAP. XI.

Post Spartanam Creticamque rempublicam nobilis erat Carthaginensis, de qua nonnulla ad laudem ejus Isocrat. L. 2. ad Nicocl. Plat. apud Laert. Iustin. L. 8. Polyb. L. 6. Liv. dec. 3. & 4. qua agit de rebus gestis Hannibal & Asdrubalis. Ejus Legislator, quis fuerit incertum est. Eam denique examinat Aristoteles. Partes capitinis duæ constitui possunt: prior comparat hanc remp. cum Spartana, posterior propria hujus peccata ostendit.

CAP. XII.

Ultimo hoc capite Aristoteles secundi Libri doctrinam concludit divisione dupli, monstrans totius Libri methodum. Deinde Atheniensium remp. examinans tandem sub finem 8. Legum Scriptores alios, de quibus dicere seorsim non attinebat, recensens solum eorumque quædam peculiaria commorat. Ex qua tractatione tres capitinis partes facile est videre.

Argumentum

LIB. III. CAP. I.

IN hoc capite primum proponit Aristoteles, qua de re deinceps sit agendum & cur? De civitate videlicet & propter eam de Cive: deinde monet, quinam vere Cives sint, qui non, afferens

afferens notas civis tam adulterinas, quam veras. Siquidem verum oppositione falsi magis elucescit, remotisque tantum falsis & assumtis veris civis definitionem exstruit, tandem ex civis definitione civitatis quoque definitionem colligit. Unde trimembre hoc caput esse, facile quisque videt.

CAP. II.

Hujus Capitis duæ sunt Partes, in priore resumit Aristoteles definitionem quandam Civis, vulgo tum usurpatam & celebrem eamque examinat & vitiosam esse docet. In posteriore parte quæstionem proponit: An reipublicæ mutatione facta dici possint vere cives illi, quos supra factios Aristoteles appellavit.

CAP. III.

Hoc Capite tres discutiuntur elegantes quæstiones: Eorum prima est, an acta Tyranni aut alterius Magistratus sint acta civitatis & propterea civitati adscribenda? Ea quæstio pendet ex proxima superioris Capitis, qua quærebatur, an mutata rep. a magistratibus cooptati in numerum civium veri Cives essent? Secunda est, quando sit eadem civitas dicenda, quando non? Tertia, quando pacta publico nomine inita sint servanda, quando non? Ex quo ternario quæstionum numero tres quoque capitinis partes constituimus.

CAP. IV.

Hoc Capite aliam quæstionem proponit priori non absimilem. Sicut enim superiori capite disputatum fuit: Quænam civitas esset una, quæ non una: ita hoc cap. disceptatur, eademne sit viri boni & civis boni virtus. In aliis enim rebus id non obtinet. Nam bonus Poëta non statim est Vir bonus, sicut nec bonus pictor aut bonus sartor. In hujus quæstionis expositione multa occurruunt insignia de virtutibus Magistratum & privatorum. Altera parte capitinis quæritur, an opifices in numerum verorum civium sint cooptandi,

B 2

CAP.

CAP. V.

Facio hic cum Latinis quintum Caput & exemplari magno Casauboni. Summam hujus Capitis dixi jam ad Capitis 4. initium, quo loco Græcos secutus fui, conjungentes hoc cum quarto capite. Quæstio tractatur hæc: an opifices & qui illis in honore pares operarii in numerum verorum civium cooptari possint & debeant. Partes capitatis duæ sunt, Propositio & tractatio.

CAP. VI.

Hic incipit secunda Libri pars, qua agit de altero principio formalī civitatis Republ. Eam primo loco definit, postea dividere in species aggreditur, quod antequam faciat, duo repetit ex Lib. I. civitatum originem & fines. Deinde imperiorum discrimina in domestica civitate, quibus duobus quasi fundamentis doctrinam de republ. superficit. Partes cap. tres sunt (1) proponit. (2) remp. definit. (3) duo fundamenta ex primo libro tractat.

CAP. VII.

Tradita prima eaque essentiali divisione rerump. in rectas & obliquas sive exerrantes, degenerantes: accedit nunc ad subdivisionem ductam a numero Imperantium, qui numerus cum variet tripliciter: aut enim unus imperat, aut pauci, aut omnes: hinc tres exstruit rectarum rerump. formas, cum videlicet unus pauci, omnes commune commodum spectant: Tres degenerantium, cum iidem unus pauci omnes suum quærunt.

CAP. IX.

Ea, quæ hactenus de rerump. formis nude sunt & populariter dicta, deinceps paulo uberior explicanda sunt, sic ut eadem opera eximamus scrupulos, qui offendere aliquem superioris tractationis occasione possent. Ratio hujus uberioris tractationis subjungitur, consilium videlicet & consuetudo Philosophorum Theoreticorum, quæ differt a Philosophis practicis:

Eticis: his quia ad actionem omnia referunt, satis est, ea solum tractare, quæ ad finem, quem quærunt faciunt, alia vel prætermittunt, ut loquitur de Panætio Cic. 3. de offic. vel consulto relinquunt, sed qui sectantur Theoriam, quorum finis est cognitio & veritas ab iis negligi nihil debet aut omitti, quod ullo modo ad veritatem declarandam pertinet, de horum autem numero se profitetur Aristoteles esse. Geminum huic locum & supra lib. 1. habuimus.

CAP. IX.

In hoc capite Aristoteles tria genera jūstorum inter se confert, quorum primum est Oligarchiae justum id est opes, ex quarum possessione divites imperium sibi arrogant; alterum est Democratiae justum id est libertas, cuius prærogativa pauperes nituntur. Tertium est reipublicæ probe justum, competentribus rectis formis id est virtus cum prudentia, quorum jūstorum hoc postremum perfectum dicit esse justum & proprie primoque civitatis justum dici debere. Illa vero duo justa opes & libertatem imperfecte esse justa sive inchoata solum, quam quidem quæstionem ideo tractat, quia multi suo tempore & Oligarchian laudabant & Democratian, quasi justas & reætas respublicas Athenienses quidem Democratian, Lacedæmonii Oligarchian, quos ex parte quidem vere sentire ait, non tamen in totum. Neque enim divitias aut opes vere inæqualitatis fundamenta esse neque libertatem sed virtutem, ut in textu demonstrabitur. Deinde ideo etiam tractat, ut viam si bi sternat ad capitis decimi doctrinam id est ad tertii libri partem, qua quærit penes quos τὸ κέρεν in republica esse debeat.

CAP. X.

Tertia sequitur hujus libri disputatio principalis de summo imperio civitatis, penes quosnam id esse debeat, in qua disputatione fundatur tota civilis scientia. Eam quæstionem primum Dialectice disputat contra omnes formas, quia fautores sunt omnium aliqui. In rebus quippe civilibus multa con-

stant opinione potius, quam veritate & sicut omnibus hominibus innatus est pulchritudinis sensus, de pulchro tamen mira est sententiarum diversitas, alibi pingues alibi teretes in pretio sunt, alibi facie oblonga, alibi rotunda, alibi pallidiusculi, alibi rubri; ita imperii etiam sensus naturalis nobis est, penes quos imperium debeat esse controvertitur, divisione autem generali præmissa tota disputatio magis fiet perspicua. Summa potestas vel penes leges est aut esse debet vel penes homines. Si penes homines aut penes omnes, aut paucos aut penes unum. Omnes illi vel virtute sunt æquales, ut in Politia vel libertate ut in democratia. Pauci vel virtute præstant, ut in Aristocratia vel divitiis & nobilitate, ut in Oligarchia. Unus vel est optimus, ut Rex, vel pessimus, ut Tyrannus. Cui igitur horum omnium debetur summum imperium. Quisque enim pro ea, in qua ipse natus & educatus republica, pugnat acriter ac velitatur.

CAP. XI.

Nunc de quæstione cap. superiori proposita accuratius docet, ostendens multorum imperium diutius esse, quam paucorum simul declarans, quorum multorum imperium intelligat. Quæstio duplex est (1.) an absolute multorum dominatus paucorum dominatui præstet. (2.) an populus universus æqualiter suæ reipublicæ sit particeps, ut optimates suæ.

CAP. XII.

Hoc caput resumit disputationem illam de duobus imperfecte justis Oligarchiæ ac Democratiæ. Cum sit eiusdem disputatione, quæ una velitatione expediri nequeat: Novo in eam rem producto fundamento, quo ostenditur, non pro cuiusvis boni ea superantia aut defectu magistratus aliis conferri, aliis negari debere.

CAP. XIII.

Iam in utramque partem affirmantem & negantem disputat Aristoteles, ut solet in gravioribus Disputationibus quo-

an-

animum ita excitet ad veritatem avidius imbibendam. Primum disputat universe & in genere, deinde in specie & de singulis juribus seorsim quærit, qua disputatione præmissa, ad extre-
mum tandem capit is quæstionem decidit.

CAP. XIV.

Quarta sequitur eaque ultima hujus Libri pars, qua post generales rerumpublicarum formas explicatas singularum modos & multiplices quasi species persequitur (1) quidem rectarum postea vitiosarum, quæ tractatio seq. lib. demum absolvitur, reliquo hujus libri de regni modis agit copiose disputans simul: expediatne regnum civitati & an omni civitati? deinde leviter quoque de Aristocracia. Ratio cohærentiæ hæc est; extremo superioris cap. docuerat, heroas unum vel paucos nequaquam urbe expellendos, si virtute emineant, sed sine dubio aut invidia imperii habenas ipsis permittendas, id si unus foret imperium, regnum est; si pauci, Aristocracia: recte itaque deinceps de his tractabitur. Alias causas in textu infra adferemus. Tota autem de regno tractatio, ut ante innui, duobus his innititur capp: Primo quæ sunt regni species sive qui modi? secundo expediantne regna humano generi cum aliis cohærentibus quæstionibus. Ad hanc de regno disputationem adhibere privatim potestis Platonem in libris de republica qua de regno Stob. c. 46. & 47. Herodot. I. 3. Isocrat. in Nicoclem Dionem I. 52. Cicero de legib. Synæsium in elegan-
tissima oratione de regno, Dionem, Chrysostomum in oratio-
nibus de eodem. E recentioribus videantur Patricius, Bucha-
nanus, Petrus Gregorius Tolosanus I. 6. initio usque ad c. 16.
Guicciardinus, Machiavellus, Bodinus I. 2. c. 2. & 3. qui Phi-
losopho nostro more suo iniquus admodum est, ut suis locis
ostendimus. Marius quem alii Marianum, Salmonius, denique
e recentissimis Arnisæus c. 9. Hoc & cap. proximo quatuor
Aristoteles regnum modos adfert, qui omnes inde ducuntur,
quod revera notas veri & heroici regni, cuius sequenti capite
fiat mentio vel non habent omnes & in quibusdam deficiunt,
vel

vel quia illis aliquid admixtum est, tanquam absoluti id est Tyrannidis. Primus & quartus regni modus diminutum habent imperium. Secundus & tertius Tyrannidis aliquid admixtum habent. Partes capitum duæ sunt. Prior agenda proponit. Posterior species recenset.

CAP. XV.

Hoc Capite quatuor allatis regni speciebus, subjungit quintam id est regnum πρώτως καὶ κυριός, quod alias vocat παντοκράτορας id est regnum absolutum. Postea quæstiones de regno tres pertractat comparans nobilissimum hoc regnum cum optimis legibus: secundo cum plurimis bonis: tertio cum imperio totius ingenui populi, de quibus deinceps ordine.

CAP. XVI.

Resumit iterum disputationem de regno παντοκράτορα & nunc leges nunc plurimum imperium eidem præfert, argumentis variis productis.

CAP. XVII.

Sequitur decisio totius Disputationis superioris & explicatur ex mente Aristotelis quæstio de bonitate, justitia, utilitate regii principatus simpliciter & compare id est expeditane civitati in universum beatæ unius imperio subjici & utrum magis huic, quam illi aliive regni formæ.

Argumentum

LIB. IV. CAP. I.

Capite primo prima absolvitur libri pars, ea tota est methodica pertinens ad specialem hujus doctrinæ παδεῖαν. Partes capitum duæ sunt (1) veri & architectonici Politici quod sit officium monet (2) eruditis id ipsum rationibus confirmat. Estque primum hoc caput ut 2. & 3. πεπαρασκευὴ ad libri totius tractationem principalem.

CAP. II.

CAP. II.

Caput hoc repetitio quædam est ex superiori libro. Itaque in eius expositione breves erimus. Initio autem repetit formarum tam rectarum, quam pravarum reip. numerum. Earum duas a se jam explicatas ait, restare ut agat de reliquis, postea comparat inter se vitiosas & tandem ad causas multitudinis formarum extremo capite convertitur.

CAP. III.

Et hoc cap. ad prolegomena hujus Libri pertinet, quo & multa esse genera rerump. ostendit & causas multitudinis aperit. Partes capitatis tres possunt constitui. In prima de communibus reip. cujusvis seu bonæ seu malæ differentiis earumque causis differitur. In altera parte reprehensio est cujusdam *διχοτομίας*: in tertia contra *διχοτομίαν* Aristotelis sententia confirmatur & defenditur.

CAP. IV.

Hoc capite accedit ad rem proprius, cuius partes sunt tres. Prima parte de veris notis Democratiæ & Oligarchiæ agit, resumens doctrinam superiori libro traditam. In altera parte de partibus civitatis diversis rerump. diversitatem inducentibus agit plenius. In ultima de speciebus Democratiæ quinque tractat.

CAP. V.

Hujus Cap. partes duæ sunt. Prior enumerat species Oligarchiæ quatuor. Posterior elegantem continet appendiculam. Agit hoc quoque Libro de Oligarchia infra cap. prox. L. 5. c. 3. 6. 8. L. 6. c. 6. Plato 8. de rep.

CAP. VI.

Hoc caput quarti & quinti cap. fundamentum est sive mavis firmamentum. Repetuntur enim species Democratiæ c. 4. & Oligarchiæ cap. prox. traditæ. Doceturque earum

C

diōn.

S. 9. Principalis disputatio hæc est: Quare earum aliquæ legum vigorem tueantur aliqua legum repagulis effractis libidinis suæ potius ductum sequantur.

CAP. VII.

Hoc Capite repetitis prioribus rerump. speciebus, Aristocratiæ quoque species explicare adgreditur, Tyrannidis nullam mentionem facit. Unde quidam, qui libenter sunt unguis in ulcere, carpunt Aristotelem. Ego vero puto sub monarchia contineri vel fuerit sane omissa ab Aristotele, dico jure id factum. Non enim est vere forma reipubl. Tyrannis, sed officina iniquitatis. Omittit & Polit. sed rationem ejus rei reddit in ipso textu.

CAP. IX.

Nunc de Politia agit, cuius cap. partes duæ sunt. Prior transitionem continet, qua partim proponit deinceps tractanda: partim ordinis & methodi rationem tradit. Posterior generalem Politiae tractationem continet & ejusdem cum Aristocratia mixta comparationem, in qua tres elegantes quæstiones proponuntur & deciduntur.

CAP. X.

Superiori capite Politiam definivit mixtionem Democratiæ & Oligarchiæ, hoc capite modos mixturæ tres exponit priori capitum parte, posteriori signa recte constitutæ Politiae exponit, partim exemplo partim rationibus confirmans.

CAP. X.

Ex omnibus tertio libro enumeratis rerump. formis restat pessima Tyrannis, de qua paucis. Species enim solum ejus recenset perficiendæ potius disputationis causa, quam quod necessarium omnino videretur.

CAP. XI.

Duæ sunt hujus Cap. partes principales. Explicatis enim hactenus omnibus rerump. formis nunc accedit ad rem publ.

publ. non optimam quidem simpliciter, sed optimam plerisque virtutibus. Eam facit mediocrium hoc est nec nimis divitum nec nimis pauperum. Quam optimam plerisque esse multis in medium productis rationibus 1. capituli parte ostendit. Altera cur rarer sit illa forma & minus frequens, idoneis quoque argumentis evincit.

CAP. XII.

Scopus hujus Cap. pendet ex fine superioris. Cum enim superiori Cap. docuerit, quæ sit ἀπλωτη pluribus civitatibus optima resp. deinceps agit de rebus publicis ex hypothesi hoc est, quæ, quibus & qualis qualibus maxime conveniat: Partes capituli tres sunt (1) tres præmittit hypotheses, altera exsequitur propositum (3) cautiones præscribuntur rerump. conditoribus notandæ.

CAP. XIII.

Fine præcedentis Cap. dictum est, male facere, si quibusdam decipulis populum circumveniant, ut imperio prorsus nudent, quia istæ πίχραι tandem patefiant & in certum reip. desinant malum. Hoc Cap. species aliquot illorum sophismatum percenset, quibus & Oligarchici populum & contra populus divites involvit. Altera doctrinam de politia absolvit, simul Legislatori præscribitur, ut caveat, ne in Labyrinthos hos hujuscemodi seipsum conjiciat.

CAP. XIV.

Ultima Libri pars. Supra diximus, Aristotelem L. 3. & 4. explicare & absolvere essentialia reip. illa sunt partim materialia partim formalia. De generali materia visum L. I. De forma sive formalibus reip. haec tenus. Restant adhuc quædam materialia. Pars consiliaria, imperans & judicans. De his tribus ad extremum hujus Lib. & hoc quidem cap. primo tractanda proponit. Deinde de parte consiliaria agit.

C 2

CAP. XV.

CAP. XV.

Exposita prima de senatu parte, sequitur secunda de Magistratu, cuius priori parte multas de Magistratu controversias proponit potius, quam explicat. Altera, quemadmodum pro rerump. varietate varient magistratus, exponit. Item qui quibus rebusp. sint adcommodati, sumtis differentiis tum aliunde tum ab objectis & tempore. Docetur eorum numerus denique creatio.

CAP. XVI.

Restat ultima pars de judiciis æque necessaria in rebusp. atque Senatus & magistratus. De illis hoc capite, cuius partes duæ sunt. In priore octo percensentur, quasi *ταξιδιώτες* judiciorum genera, desumpta ab objectis judiciorum sive a rebus, de quibus judicium ferri oportet. In secunda parte secundum tres superioris cap. terminos materia proposita tractatur. Docetur enim, qui quos judges, quomodo legere debeant, additurque ad extremum, quæ judicia, quibus rerump. formis accommodari debeant.

Argumentum**LIB. V. CAP. I.**

Hoc Cap. Aristoteles summa tantum rerum fastigia attingit & primos fontes seditionum ac motuum aperit nondum ad particularia descendens, quemadmodum & Medici initio generaliter admodum omnes morbos oriri dicunt vel a repletione vel ab inanitione. Secundo recensentur mutationum genera, qui locus admodum est insignis. Tertio rerump. quoad diuturnitatem instituitur levis aliqua comparatio.

CAP. II.

Proposito capite primo scopo & fonte generali omnium motuum mutationumque, qui est vana inæqualitatis persuasio, pergit

pergit Aristoteles more suo & de causis sive principiis mutationum quoque monet: tria ea constituens prima capitinis parte, quæ posteriori declarat, sequentibus capitibus speciatim diduntur optimo & laudatissimo docendi modo. Sicut enim pictores primum $\sigma\tau\pi\tau\varphi$ delineant imaginem carbone, tumque demum solent $\delta\lambda\alpha\beta\pi\eta\tau\alpha\sigma\gamma\epsilon\phi\eta\pi$ & colores addere, ita Aristoteles quoque semper a generali tractatione paulatim ad specialem progreditur. Sic enim consequi oportet id, quod boni Doctoris est officium & ut memoriae consulatur & intelligentiae. Memoriæ, dum res ad generalia capp. refertur, sicut hic seditionum causæ tres principales constituuntur. Intelligentiae, si generalia capp. postea dilatentur & explicentur id quod c. 3. & 4. fiet.

CAP. III.

Hoc cap. & seq. propositas paulo ante causas latius & diligentius exequitur, prout facere constituerat, quasdam etiam exemplis illustrat, novas quoque nonnullas addens.

CAP. IV.

Interpretes plerique putant, hic tres novas motuum causas adferri. Rem uxoriam, augmentum ordinis & exæquationem omnium ordinum. Verum cum de media causa actum sit supra, agnoscunt ipsimet, turbatam hic esse methodum & aperte dicit Giphanius. Mihi vero non videntur novæ causæ adferri, sed una alterave ex superius adlatis magis explicari & ob oculos poni idque eo consilio, ut tanto majori cautione malis inde provenientibus occurramus. Ex sunt τὸ μικρὸν, de qua causa dicitur: Cavendum esse diligenter, ne incidat in dissidia principum civitatis virorum; nam in personis tenuioribus minus nocere. Maxime vero in illis, quemadmodum si morbi in pede sunt vel alio membro minus primario & levius curantur & minus quoque damnum inferunt: secus se habent, si in partem principem incident v. g. saeviant in guttur, pectus aut pulmones. Tractanturque adeo primi capitinis parte nobis C 3 lla

lia secunda axiomata politica, quorum primum est: maximos motus rerump. ex parvis initii provenire. Secundum, principum in civitate virorum dissensiones maxime reip. pernicio-
sas esse. Posteriori capitinis parte resumitur & illa causa supra tradita de incremento partis alicujus, aut ordinis reip. maxime ideo, ut doceatur non solum incrementum unius ordinis sed & exæquationem omnium ordinum magnas in rep. turbas ex-
citare. Extrema tandem capitinis parte aperitur modus, quo causæ hæ remp. impellant & moveant.

CAP. V.

Postquam hactenus docuit Aristoteles universe, mo-
tuum causas jam contrahit & cuique formæ reip. quæ causa
magis noceat, accommodat & explicat. Primo autem loco
formis illis, quæ per plures administrantur, non per unum pu-
ta Democratiæ, Oligarchiæ & Aristocratiæ. Sicut autem in
morbis eadem causa, prout in alias atque alias complexiones
sive temperamenta incidit atque agit, alios atque alios gignit
morbos v.g. hic cibus immoderate sumptus in me febrem gignit,
in te dolorem cholicum, imo sicut universe causa aliter atque
aliter agit, prout in aliud atque aliud subiectum agit, quem-
admodum idem sol ceram liquefacit, lutum durat, ita & mo-
tuum causæ supra adlatæ, prout in alias atque alias reip. for-
mas incident, alios atque alios effectus quoque producunt.
Hoc igitur capite disputat, quænam causæ rempubl. Democra-
ticam immutent vel in Oligarchiam, quæ est prima capitinis
pars, vel in Tyrannidem quæ altera vel denique in alium De-
mocratiæ speciem (plures enim supra diximus esse) quæ est
ult. capitinis pars.

CAP. VI.

Hoc Cap. de mutationibus Oligarchiarum disputat, qua-
rum causas duas facit principes. Injurias a paucis illis plebi-
factas & dissidia sive dissensiones, quæ in Oligarchiis celebrio-
res esse solent. De priori causa capitinis principio agit, de 2.
prolixe secunda cap. parte.

CAP.

(23)

CAP. VII.

Democratiæ & Oligarchiæ, ex quibus mutentur causis vidimus hactenus. Restant Aristocratia & Politia, de quibus hoc cap. præcipue de Aristocratia, non quidem illa propria, sincera & per se (nam ea non dissolvitur, nisi ab externa aliqua causa, puta bello, vel alio infortunio) sed mixta illa, quæ ex Democratia, Oligarchia & Aristocratia constat id est in qua simul & populi & divitum & virtutis habetur ratio vel quæ ex Democratia & Oligarchia constat, sic ut & populi & paucorum, sed ex virtute ratio habeatur. Vulgo Aristocratæ quoque Oligarchiæ nuncupantur. Nam & divites boni viri creduntur, tum quia melius educati, tum quia fidem in contristibus rectius servant, ut supra dictum. Mutantur autem Aristocratæ hæc mistæ nunc in Democratias nunc in Oligarchias nunc denique in Tyrannides. Causa generalis omnium mutationum est, quod mixtio non recte facta est. Sicut enim panis, quando non est, recte fermentatus, corruptitur, ita & hæc rerump. formæ.

CAP. II X.

Postquam hactenus Philosophus causas mutationum tradidit earum rerump. quæ a pluribus reguntur, transit nunc ad remedia. Et sicut de causis mutationum egit in genere primum, tum in specie: ita de remediis quoque primo in genere agit, deinde etiam in specie. Eam doctrinam duobus seqq. capitibus absolvit, brevius, quam de causis mutationum actum fuerat, quia videlicet cognitis causis morborum, facilius sit & expeditior curandi ratio.

CAP. IX.

Sub initium Capitis octavi diximus hoc caput cum illo cohærere itaque non recte a priori divulgum esse. Pergit autem hoc quoque caput generalia remedia conservandarum rerump. tractare, quæ ordine suis locis videbimus. Initio autem capitinis, antequam ad remedia redeat, appendiculam quandam

quandam extremo superioris capitinis addit. Dixerat Aristoteles ibi in Democratis & Oligarchiis illos, qui imperii sunt capaces, non debere maximos magistratus cum parentibus communicare, sed sibi retinere vel omnes vel plerosque. Illud primum turbare poterat, quare plerosque dixerit. Reddit itaque rationem ideo a se id factum, quia non omnes iis virtutibus sunt praediti, quas maximi magistratus requirunt, eas virtutes initio capitinis proponit.

CAP. X.

Haec tenus priori parte Libri Philosophus, quae proposuerat absolvit id est causas & eversionum & conservationum rerump. illarum, quae plurim, quam unius imperio reguntur, recensuit. Nunc altera libri parte accedit ad eas formas, quae unius arbitrio & potestati subsunt i. e. ad Monarchiam & Tyrannidem. De quarum formarum eversione & causis ejusdem hoc cap. de conservatione sequenti aget. Partes autem hujus Cap. 2. sunt principales. Primo enim committit inter se regnum & Tyrannidem differentias utriusque monstrans ductas ab origine, scopo, consiliis & aliis: posteriori parte capititis principale institutum exsequitur. Totum caput etsi verbosum est, illustre tamen est & nostris temporibus maxime accommodatum, ut acute vidit Giffanius.

CAP. XI.

Morbos supra diximus debere sequi remedia. Itaque hoc caput de remediis sive causis conservantibus monarchias. De illis agit dupliciter (1) De causis conservantibus regna. Deinde de causis conservantibus Tyrannides.

CAP. XII.

Caput hoc bimembre est (1) memb. est historicum, docens productis in medium exemplis omnium politiarum minime diuturnam esse Tyrannidem & quae ad Tyrannidem proxime accedit Oligarchiam. Posterius membrum est Elenchition: reprehenditur enim Platonis dogma de causis mutationum rerump. Perstringuntur ad 8. errata Platonis.

Argu-

Argumentum

LIB. VI. CAP. I.

PRIMO cap. prima Libri pars absolvitur, qua Philosophus per ἀνακραλαίωσιν repetit, quæ tradita sunt prioribus libris; Inprimis, quæ parte quarti ultima & toto lib. quinto. Secundo proponit hoc lib. tractanda. Tertio quædam generalia isti doctrinæ præmittit.

CAP. II.

Capitis hujus secundi duæ sunt partes: (1) Fundamentum Democratiæ proponit, cui illa innititur idque duplex esse comprobat. Posterior ordine instituta popularia percenset.

CAP. III.

Hoc Cap. ex superiori pendet & si Giffanium audiamus initium ejus ducendum fuerat ab illius verbis: πά μὲν οὐ κοινά; Cohæret quippe tractatio hujus cap. cum illa partic. Nam tota agit de jure quoque Democratico. Partes cap. duæ sunt principes. (1) quæstionem continet cum decisione vulgata ejusque reprobatione. (2) sententiam Aristotelis proponit eamque confirmat.

CAP. IV.

Cum plures Democratiæ sint species, ut ostensum est Lib. 4. non contentus Philosophus noster est, in genere Democratiæ subsistere, sed ad species descendit atque inter eas comparationem instituit, docens optimam præstantissimamque esse eam quæ constet ex agricolis & pastoribus & agricolis quidem maxime. Postea de constituenda tali Democracy verba facit, tum relictis intermediis speciebus ad determinam Democratiæ formam ejusque πεφυλακτικὰ progredivit.

CAP. V.

Difficulter hoc caput a quarto potest avelli, versatur enim hoc quoque in enumeratione præceptorum, quæ in Democratio

D

mocratio

mocratia hac deterima observari debent. Totum caput videtur Elencticum esse. Primo enim hoc loco reprehendit generale quoddam Politorum sui temporis vitium & quando id corrigendum sit docet. Deinde transit ad præsentem speciem. Proponitque vitiosa quædam Demagogorum instituta, quibus Democratiam hanc fulcire adnixi sunt, subjungens deinde rationes, quibus illa corrigi & in melius emendari videantur.

CAP. VI.

Hactenus de Democratiis earumque instituendarum & conservandarum modis sic satis copiose dictum. Sequitur tractatio de Oligarchiæ instituendæ & conservandæ rationibus. De his enim duobus generibus maxime sibi proposuerat agendum Philosophus. Brevius autem tractationem hanc absolvit hoc & sequenti cap. quam superiorem de Democratiis. Causam initio cap. hujus exponit. Toto cap. solum monstrat, quæ sit *avniſſos* specierum quatuor Democratiæ & totidem Oligarchiæ. Utriusque enim formæ quatuor species sup. Lib. 4. constitutæ sunt monetque referendo unamquamque Oligarchiæ formam ad contrariam Democratiam, ita esse progredendum, ut initium fiat ab optima & ordine deinceps eatur ad deteriores.

CAP. VII.

Hoc etiam Caput a superiori male divulgum est. Coheret enim prorsus, quippe & hoc præcepta traduntur utilitatem instituendis, quam conservandis Oligarchiis. Distinguit vero primum Aristoteles inter genera hominum; deinde docet, qui homines apti sint & idonei paucorum imperiis, additis deinde quibusdam præceptis, totam hanc doctrinam concludit.

CAP. IX.

Postquam hactenus de modis instituendi & conservandi resp. eas, quæ frequentiores sunt & usitatores Philosophus egit,

egit, ut doctrina illa perfectior sit & elaboratior, addenda quædam monet de magistratibus. Magistratus enim motum, vitam, sensum & intellectum rebus p. tribuunt. Etsi enim sup. quoque Lib. 4. cap. ult. materiam hanc persecutus sit, hoc tamen capite & uberior & distinctius de ea differit, dividendo magistratus in suas veluti species, ex quibus membra capitis peti possunt. Primum dividit Magistratus in necessarios & qui faciunt ad εὐκοσμίαν. Deinde dividit in civiles & sacros. De civilibus priori loco. De sacris extremo cap. quosdam ratiocines & paucioribus posterioribus rebus p. usitatos magistratus itidem considerat.

Argumentum

LIB. VII. CAP. I.

HOc i. cap. Philosophus initio proponit reliqui operis scopum, nimirum restare inquirendum: quis sit optimus reip. status, qua occasione proponit etiam quæstiones præliminaires. Cum inquit status optimus reip. nihil sit aliud, quam optima ejusdem & beatissima vita, quærendum omnino erit, qua in re consistat illa optima & beatissima vita. Cum enim resp. sit vita civitatis, ut sup. docebatur L. 3. repetetur infra hoc lib. optima respubl. erit optima vita civitatis, sic ergo una quæstione declarata declarabitur etiam altera: itaque de ea hoc cap. agit.

CAP. II.

Diximus superioris capitil extremum resumi sub initium hujus, quæstionem de eadem aut diversa felicitate singulorum civium & universæ civitatis. Post eam progreditur Philosophus ad quæstiones alias duas, quarum altera comparat inter se vitam Practicam & Theoreticam, altera disputat, utrum felicitas consistat in late dominando, an vero alia re resp. beata sit? Quarum duarum quæstionum hanc posteriorem potissimum hoc cap. exsequitur, altera in sequens cap. rejecta.

D 2

CAP.

CAP. III.

Postquam super. cap. docuit, optimam vitam nequaquam in dominandi libidine aut virtute bellica versari, nunc hoc cap. aliam adgreditur disputationem duasque rursum inter se committit sententias. Dissidebant enim inter se jam veteres; Vitane practica togata præstet Philosophicæ vitæ, an contra Philosophica practicæ. Quam utramque sententiam primo loco proponit, post examinat, quidque utraque veri, quid habeat falsi aperit. Unde duæ capitum partes exsurgunt, quarum prior utriusque partis sententiam additis fundamentis proponit, posterior examinat & corrigit.

CAP. IV.

Hætenus primam Libri hujus partem habuimus, id est proœmium. Sequitur nunc tractatio de civitate & republ. iudicio Aristotelis optima. In qua tractatione, ut sub initio quoque Libri monuimus, primum de dupli agit materia ci-vibus videlicet & situ loci, in quo civitas hæc beata condi-debeat, qua in disp. plane sequitur eam methodum, quam supp. Libris secutus est in expositione Reip. *απλως* sive universe. Nam primo operis hujus Libri materialia civitatis itidem exsequutus est. Tertio (secundus enim solum præparatorius fuit, dubitationes continens) & quarto formalia. Horum autem materialium hoc loco tractatio extenditur ad cap. usque XIII. a quo deinceps ad formalia progredietur, docebitque: Quomodo institui civitas debeat, ut perfecta beataque sit. Hoc cap. elegantem adfert quæstionem de magnitudine urbis ac multitudine civium, quinam utriusque modus haberi debeat. Quando enim cuilibet formæ respondere debet materia, ut beata civitas fieri possit, concludet nec nimium oportere numerum esse civium nec nimis exiguum. Quod ipsum de urbis quoque ambitu accipiendum est, qua in re dissentit a vulgi sententia, civium multitudine & ambitu magnitudinem urbis metientis. Quam sententiam Philosophus initio eruditis rationibus

tionibus convellit, postea suam adstruit, urbis videlicet magnitudinem æquabili potentia æstimandam, ambitu partim & civium numero moderato. Hinc duæ resultant cap. partes, quarum prior propositionem continet cum rationibus dubitandi, posterior decisionem.

CAP. V.

Exposita sup. cap. quæstione & decisa de civium multitudine beatæ civitati accommodata accedit nunc ad dispositiōnem de agro ipso partim quantitatē partim qualitatē ejusdem describens. Extr. cap. quædam adjicit de ipsius urbis situ, quæ tamen malim initium capitī sexti facere: totum enim caput sextum cum extremo hujus capitī cohæret.

CAP. VI.

Pendet hoc caput & paulo ante monuimus ex extremo præcedentis. Cum enim ibi dictum esset, civitatem commode sitam esse debere, sic ut mare vicinum habeat, disputat hoc cap. an maris vicinitas & communio expeditat reip. an vero sit eidem perniciosa. Adfert autem in primis dubitandi rationes *εἰς ἐκάπερ* sive ut loqui consuevimus pro & contra; tandem pro adfirmante sententia decidit, quæque contra adferabantur incommoda, quomodo possint averti, monet. Est autem insignis hæc quæstio, quam tractarunt Plato quoque 4. de Leg. Strabo L. 7. & pulcherrime Xenoph. de republ. Atheniensium.

CAP. VII.

Redit ad disputationem nunc capite quarto intermissam, quo cap. cum quantitatē civium beatæ civitatis definivisset, nunc ad qualitatē accedit, docetque quales cives qualibusque ingenii præditos esse oporteat idque facit explicando varietatem ingeniorum, quæ a voluntate legislatoris non tam pendet, quam a natura ipsa atque in hoc vertitur prima capitī pars. Altera & posteriori capitī parte Platonis sententia proponitur eadem hac de re. Deinde a Philosopho ad veritatis regulam examinatur.

D 3

CAP.

(30)
CAP. II X.

Hoc cap. magis speciatim ad civium beatæ civitatis descriptionem accedit & duas principales tractat quæstiones, quarum prima est, an omnia, quæ civitati sunt necessaria, partium civitatis appellatione venire debeant? id quod idoneis in medium allatis argumentis negat. Poster. Quænam civitati necessaria sint, quorum hoc loco sex commemorat: victualia, artifia, arma, opes, sacra, judicia. Victualia agricolæ & pastores procurant: artifia tractant artifices: arma milites: opes ærarium colligit: sacris præsunt præsides & sacerdotes: judiciis judices & senatores.

CAP. IX.

Eleganti progreditur ordine Philosophus noster: Cum enim superiori capite ex functionibus civitati necessariis sex genera hominum constituisset, hoc cap. delectum veluti habet & qui inter sextuplices illos homines veri dici possint cives vestigat. Huc autem ut deveniat, querit ante omnia, an sex illa opera civitatis sive munia penes eosdem promiscue possint esse, sic ut omnia ab omnibus simul & semel administrentur, an vero secus fieri expediat? secunda capitinis parte docet, penes quos in civitate debeat esse cura & custodia ærarii publicarumque pecuniarum. Extremo capite quid de sacerdotibus in beata republ. constituendum sit tradit.

CAP. X.

Cum super. cap. milites, senatores & judices potissimas reip. suæ cives fecisset Aristoteles & agricultores exclusisset, prævidit reprehensionem quandam, quam vix evitaturus esset. Fuere videlicet tempore Aristotelis multi, qui censebant, nihil esse periculosius, nihil item civitati molestius, quam similites sint in ea id est homines, qui nihil præter artem militarem & arma tractare sciant; Quia videlicet tales, dum rei militaris scientiæ fidunt & armis suis se munitos animadvertunt, immineant reip. eique vim minentur. Præstare itaque dicebant

bant illi, ut agricolæ tempore urbis necessario fierent bellatores, cum agresti labore durati jam sint ad tolerantiam militarem, cum item agros habeant suos, quorum causa promptiores futuri sint ad tuendam patriam, cum eorum amore tamquam vinculo reip. sint obstricti atque obligati. Auget hanc rem in speciem Romanorum hominum bellicosissimorum institutum, apud quos milites ex agris legebantur. Quibus omnibus accedant hodie miserrimæ querelæ illorum, qui præsidiarios milites in urbe sua ferre coguntur. Male igitur videri possit Aristoteles agricultorū a militari ordine sejunxisse. Huic scrupulo si consilium Aristotelis attendatur, facile responderi potest. Peccatum inquam a Philosopho nihil est. Neque enim ille peregrinum militem induci vult in urbem, multo minus in civium numero haberi. Neque etiam agricultorū eos excludit, qui proprios & suos habent agros, sed per agricultorū intelligit colonos, servos, barbaros, extraneos, qui mercedis causa rus nostrum exercent. Hos nequaquam vult esse milites, quia nihil prorsus habeant proprii, quo reip. veluti oppugnorentur. Milites autem vult esse eos, penes quos sint opes civitatis: inter opes vero & agri numerantur. Vult igitur milites esse, qui proprios habeant agros, quamquam ipsi agros non colant, sed aliis colendos permittant. Milites externos inducere periculosisimum esse ipse quoque ait, asperum vide- licet esse genus hominum, quodque neque in otio quiescere possit. Qua de re supra. Hoc cap. ne videatur ille pruritu quodam novitatis primus hujus sententiæ sive distributionis ci- vium auctor, qua opifices, mercatores & agricultorū civium ve- rorum numero exprimuntur, milites, senatores, & judices in cundem referuntur, eam initio antiquissimam esse docet aucto- ritate historica veterumque rerump. exemplis. Poster. cap. parte duo persequitur membra, quorum (1) est de agri com- moda divisione (2) de qualitate agriculturarum.

CAP. XI.

Præcedentibus aliquot capp. consideravit Aristoteles ur-
bem

bem respectu maris & agri: hoc cap. respectu magis proprio & veluti in se eam considerat & primum quidem de urbis situ docet, deinde alias quæstiones expedit: an mœnia debeat habere, arces item & castella, quæque privatarum debeat ædium esse ratio.

CAP. XII.

Sup. cap. docuimus in situ & dispositione urbis respiciendum esse ad civiles actiones, ut videlicet urbs ad eas quoque sit expedita, addidimus eam partem in hoc usque caput rejectum fuisse. Restat ut quæ eo pertineant videamus: agit autem Philosophus de situ ædificiorum & æqualitate locorum in quibus præcipua munia sunt exercenda.

CAP. XIII.

Accedit tandem Philosophus ad descriptionem optimæ suæ reip. formæ, sic tamen ut hoc quoque caput adhuc sit proœmiale. Proponit autem initio finem rursus optimæ reip. idque ideo, ut deinde media eidem recte accommodet. Quia vero hoc cap. repetuntur pleraque dicta primo & tertio libro, leviter cap. hoc percurremus.

CAP. XIV.

Extremo sup. capitinis ostendit Philosophus, optimam remp. debere esse beatissimam: diximus item, qua in re beatitudo simpliciter consistat, nimirum in usu & functione virtutis. Ut igitur cives beati fiant, virtute præditos esse oportet. Virtus autem partem originis suæ naturæ debet, partem disciplinæ & exercitiis. De natura monitum superioribus libris est, restat disciplina, quæ ad virtutem cives ducat. Cum itaque duo sint hominum genera in omni civitate unum imperantium, alterum parentium tota hæc disciplina ad duo illa hominum genera referri debet. Exordium igitur sumit Philosophus ab imperantibus quæritque an expediat, eosdem semper aliis imperare, an vero vicissim nunc hos imperare, nunc illos. Cui quæstioni subest nobile caput formale, nimirum, qui reip. modus aut quæ gubern-

gubernandi forma optimæ reip. sit accommodatissima. Philosophus noster poster. quæstionis partem multis rationibus tueretur (1) quia etiamsi melior fingi possit gubernandi forma, dari tamen non posset. (2) quia vicissitudo ista imperandi & parenti justa sit. (3) quia tuta. (4) quia commoda.

CAP. XV.

Ostensa hactenus felicitate & quibus in rebus cōsistat, nimirum in usu & functione virtutis & quidem virtutis nobilissimæ, ad quam gradatim perveniat, adscendendo ab ignobilioribus virtutibus ad summam & primam; nunc ostendit, quibus virtutibus prædicti esse debeant cives, per quas ad perfectissimam felicitatem veluti manu ducantur, id est, quibus & in negotio sive bello & in otio sive pace vacare debeant. Ita enim vita sup. divisa fuerat in negotium & bellum otium & pacem. Priore igitur capitinis parte virtutes enumerat, posteriori modum eas obtinendi generatim proponit.

CAP. XVI.

Ut optimus citharædus, si bona destituatur cithara artem suam dextre exercere non potest: ita animus virtutum actiones obire recte nequit, si instrumentum id est corpus, non bene sit ad eas actiones dispositum. Corporis autem optima dispositio pendet ab optima complexione sive temperamento; hoc vero a generatione & primo hominis ortu. Generatio vero & ortus hominis a legitima coniunctione maris & fœminæ, quam conjugium dicimus. Ideo de conjugio deinceps agendum est, quod hoc cap. philosophus agit docens de tempore & qualitate conjugii, de prægnantibus, de puerorum expositione, de pœnis adulterii & similibus, de quibus in serie textus monebimus.

CAP. XVII.

Conjugium & procreationem liberorum sequitur educatio, de qua hoc cap. præcepta efficacissima traduntur. Partes capitinis tres sunt: in prima traditur ratio educandi liberos a pri-

D  ma

ma infantia usque pene ad triennium. In secunda a trienio progressus, fit ad quinquennium. In tertia quomodo a quinque elapsis annis usque ad octavum haberi debeant, docet. Quo loco subjungit, quomodo porro disciplinæ dividendæ sint, ratione ab æstatibus ducta, nimirum a septenario ad alterum septenarium & sic gradatim procedendum esse.

Argumentum

LIB. VIII. CAP. I.

Adfirmate hic Philosophus respondet ad duo illa quæsita, docens, omnino debere juventuti disciplinam adhiberi eamque publicam quoque non privatam esse debere. Non autem de nihilo prior videtur quæstio esse. Possit enim quis putare, nullam adhiberi disciplinam debere, quia vulgo nullam adhiberi videamus. Possit & ratio adferri: disciplina tali vel nihil opus esse, natura videlicet ad virtutem proris adolescentum animis vel nihil illa profici, corruptis videlicet ab eadem natura animis. Quo accedit & proverbium, quo Heroum filios dicimus esse noxas, innuentes optimos patres apud degeneres filios institutione & disciplina nihil proficere. Quo argumento contra Plat. utitur Philosophus, docens virtutem non esse ~~admirabilem~~, quia optimi Patres, qui procul dubio simillimos sibi filios optarent & virtutem si doceri posset, docerent, filios tamen habeant seu dissimillimos. Et sane etiamsi vitiosæ illæ naturæ, dum sub magisterio sunt, vitia sua premunt, tamen ubi Præceptorum magisterio excedunt erumpere illa solent seque manifestare. Non igitur de nihilo est quæstio illa, an aliqua pueris sit disciplina adhibenda.

CAP. II.

Hoc cap. tertia discutitur quæstio; quænam debeat esse institutionis aut disciplinæ puerorum ratio. De qua hoc cap. in genere & strictim seqq. diducet & dilatabit. Sumit autem formam

formam sive disciplinæ rationem ex discriminine rerum & opinionum sic ut falsa removeat & approbet vera. Res aliæ inquit, sunt necessariæ, aliæ utiles, aliæ jucundæ. Rursum aliæ liberales, aliæ illiberales. Circa omnium harum rerum apprehensionem variant hominum sententiæ. Videndum itaque studiose nobis, ut eligamus optimum.

CAP. III.

Nunc in specie proponit, quibus disciplinis adolescentes post primum septennium institui debeant & enumerat quatuor: grammaticam, pictoram, gymnastiken & musicen, causque adfert, quarum respectu quatuor his disciplinis pueri institui & informari debeant.

CAP. IV.

De gymnastice hoc cap. agit & quidem simpliciter. Primum κατ' αρσην: deinde κατὰ θέσην. Docet enim qui fines gymnastice vitiosi sint, quique pueros honestos dedeceant, deinde qui finis & modus iisdem conveniat.

CAP. V.

Postquam superioribus capitibus ostendit Aristoteles, quibus disciplinis institui debeant adolescentes literis nimirum, Gymnastica, Pictura & Musica ex quatuor illis nunc resumit Musicam & cur eam discere pueri debeant uberiorius monet. Prima autem capitatis parte dubia quedam resumit, superius leviter facta, proponitque tres quæstiones, quarum (1) sitne Musica solius voluptatis & oblationis causa discenda (2) an potius ideo, quia disponat animum ad virtutes morales, sicut Gymnastice corpus ad robur. (3) an denique propter otium sive vitam beatam, quia scilicet ad virtutem dianoëticam aliquid conferat. Altera cap. parte disputat de his tribus quæstionibus ordine, quæ de singulis in contrarium dici possent adferens & extrema cap. parte suam ipse sententiam proponit & inservire Musicam tribus his modis civilibus eleganter docet.

CAP.

CAP. VI.

Postquam hactenus Aristoteles docuit & descendam esse Musicam pueris & ætati eorum accommodatam esse suisque disciplinam illam usibus non carere: nunc aliam quæstionem proponit sup. quoque attackam, sed non satis pertractatam: an videlicet audire aliorum musicam seu vocalem seu instrumentalem pueri debeant? aut ipsimet discere, canere & instrumenta Musica manibus tractare; & si, ut docet, tractare debent, quibus instrumentis id fieri conveniat? Quo denique tempore & in quantum?

CAP. VII.

Cum superiori cap. docuerit, quibus instrumentis Musicis uti pueri debeant, capite hoc, quod injuria temporum ultimum est, subjungit, quibus harmoniis aut rythmis maxime vacare debeant, quibus abstinere. Item an hic sit terminus constituendus iis, qui in Musica occupantur, ut videlicet serviat illa disciplinæ & moribus expoliendis, an vero tertius adhuc Musici studii finis sit addendus & qui?



Coll. diss. A. 89, misc. 44